


ANN. XIII. - N. 81


SEPTEMBRI - OCTOBRI

AN. D. MCMXLIII

# PALAEASTRA LATINA



Ordinarii et Superiorum permissu



## OCTAVIUS CAESAR AUGUSTUS

(EX MUSAEO VATICANO)

### S U M M A R I U M

- Bibliographia,  
(MIR, JIMÉNEZ, TEJEDOR)  
Augustus, Imperator pacis?  
(JIMÉNEZ).  
Imagunculae Claretianae.  
(MARCUS)  
De Georgii erratione,  
(AVENARIUS)  
E chartario scholastico,  
(MIR)  
Commercium Epistulare,  
(GARCÍA, MESA, ALBA, JOANNES,  
STEPHANUS JOSEPH)  
Per Orbem,  
(MESA)  
Curiosa et Jocosa.  
(NUGATOR)

## Bibliographia

**W. Van Rijckevorsel, S. J.** — *Exercices Latins, Classe de Sixième, Desclée, de Brouwer, Bruges, 1941.*

In fasciculo 77 P. L. ex commentario «Les Etudes Classiques» qua ratione P. Rijckevorsel magistri, qui dicitur, librum mente conciperet, exposuit. Nunc vero libri alumnorum qui primo latinitatis anno incumbunt notitiam lectoribus tradimus. In eo explanando Cl. P. Bauwens praecepta insequitur, diurno usu et assiduo labore melius facta et aptiore modo exposita. — His exercitiis plurimum et facile et jucunde linguam latinam — aliis horridam —, discet puer, et illa latinitatis siccitas his lepidis figuris, his aptissimis dialogis, his narrationibus et historiis, hisque praeceptis commode levabitur: ea enim et vertit et interpretatur et componit patulus alumnus.

P. Rijckevorsel diligentem puerorum cognitorem se praebet, quibus sensim sine sensu jam inde a primo anno puerilibus mentibus tot antiquitatis res et acta et instituta quasi instillat. Ex his, quos cognovimus, libris hunc optimum certe ducimus. — *Magistri librum lectoribus commendare vehementer exspectamus.*

J. MIR, C. M. F.

**B. Bosch. Pbro.** — *Cursos de latín, vol. I, II, III, IV. — Antología latina, vol. Iº — Palma de Mallorca, 1941 y 1942.*

Fama cursus latinitatis Bartholomaei Bosch clarissimi Institutionis Moderatoris, neque invalida, prius ad nos pervenit quam volumina. Quibus attente conspectis non possumus quin aucto-

rem ambabus manibus plaudamus, claritate, dexteritate, methodo. Magnos fructus tum doctrina tum exercitiis alumni reportabunt; qui sensim sine sensu a simplicioribus ad difficiliora ducentur, ipsis quasi per tabulas seu schemata. — haec est rara magistri dos — leges principiaque Grammaticae acri ingenio proponendo. In tertio volumine offendimus valde minutas litteras sicut in Anthologia.

In secundo volumine errata quaedam notarem ex gr.: «El grupo + consonante pertenece a sílaba siguiente *mo-stum* (pag. 59); *nemo, nemini*s etc. (p. 84); *legi, scribo* (pag. 110) etc. Sed sunt lacrimae rerum ..

J. JIMÉNEZ, C. M. F.

**J. Masjuán Raulí.** — *Elementos de Griego. I Gramática. Prólogo del Ilmo. Sr. D. Jesús Mérida. — II Ejercicios. Ejercicios prácticos. — Vocabulario. — Antología — Léxico Griego-Español y Español-Griego «Editorial Luís, Fernández de la Hoz, 21, Madrid.*

Inter scriptores qui graeciis compendis grammaticis operam impendunt ut novo litterarum ordini satisfaciant, haud ignobilis Dnus. Joachim Masjuán evaderet, nisi brevitat, plus quam par est, praesertim in syntaxi, indulserit.

Nihilo minus permagnam et alumnis et magistro utilitatem *Liber Exercitatorius* afferet, deque graecarum litterarum cultoribus maximas reportabit laudes, cum perfectum in suo genere illum reperiamus et aptum qui alumnorum mentes optime exerceat.

PAULINUS TEJEDOR, C. M. F.

# SANATORIUM

Nostin' novos medicationis naturalis productus?

Formulae sunt Rdi. Dris. J. García Roca

Contra Arthritismum:

**Sanatorium Depurativum.**

Contra affectiones gastricas:

**Sanatorium Eurepticum.**

Contra restrictionem ejusque causas:

**Sanatorium Purgans.**

Contra phthisim in omnibus morbi periodis:

**Sanatorium Regenerativum**

Contra anaemiam, clorosim et organicas feminarum perturbationes:

**Sanatorium Pilulae Ferrugineae.**



Veneunt in pharmacopolis et specificorum sedibus

FABRICA DE MEDALLAS  
CRUCES :: DISTINTIVOS  
IN SIGNIAS :: ETC.

# A U S I Ó

PROVENZA, 376  
BARCELONA

Com' emetis, PALEASTRAM LATINAM nuntiantibus referetis



# Textos Palaestra

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

Apartado 1042. - Lauria, 5. - Teléfono 15013. - Barcelona

Para el Primer Curso:

**Historiae Sacrae Compendium**  
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.

Para el Segundo Curso:

**Epitome Historiae Graecae**  
(2.<sup>a</sup> ed.) Texto, notas, vocabulario 5 pts.

Para el Tercer Curso:

**Ciceronis Epistulae Selectae**  
Solo texto latino 1 pta.  
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.  
**Caesaris de Bello Civili**  
Texto y notas 5 ptas.

Para el Cuarto Curso:

**Ciceronis pro Archia Poeta**  
Solo texto latino 1 pta.  
Texto, notas, vocabulario 3 ptas.  
**Ciceronis in Catilinam Oratio I**  
Solo texto latino 1 pta.  
Texto, notas, vocabulario 3 ptas.

Para el Quinto Curso:

**Virgilii Aeneidos liber II**  
Solo texto latino 2 ptas.  
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.

Para el Sexto o Séptimo curso

**Prudentii Carmina Selecta**  
(2<sup>a</sup> edición, en preparación)  
Texto, notas, vocabulario

**Canto 1.<sup>o</sup> de la Odisea**

Texto y notas 5 ptas.

Primer Curso de Lengua Latina  
adaptado al Cuestionario Oficial 3 ptas.

Segundo Curso de Lengua Latina  
adaptado al Cuestionario Oficial 5 ptas.

Tercero y Cuarto

Curso de Lengua Latina  
adaptado al Cuestionario Oficial  
(en preparación)

## Repetitorium

Libro de prácticas escolares para  
las primeras clases de latín.  
Contiene:  
Programas, Vocabularios, Ejerci-  
cios, Temas, Curiosidades  
Indices.

Precio en simil tela ,15 ptas.

## Palaestra Latina

Colección completa,  
desde Enero de 1930  
hasta Diciembre 1942,  
en fascículos sueltos 100 ptas.

De próxima aparición:

**Horatii Carmina Selecta**  
Texto, notas, vocabulario

**Crispi Sallustii Selecta**

Texto, notas, vocabulario

**Canto 2.<sup>o</sup> y 3.<sup>o</sup> de la Odisea**

Texto y notas

## EN PREPARACION OTROS TEXTOS

Descuentos especiales a librerías y, en pedidos de consideración, a Profesores y Colegios

# PALAESTRA LATINA

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - Premium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Bareinone - Apart. 1048

## **Augustus, Imperator pacis?**

*At nobis Pax alma veni, spicamque teneto (Tib. I. 10, 67)*

Miraberis forsitan quod de divo Augusto quaestionem insituam, nec eum jam nunc absolute, sine ambagibus, qualem scriptores ac oratores tradere solent, pacis imperatorem praedicem. Tamen uti aurum haud facile admittitur quin prius igne aut basanite probetur, ita et nos ea quibus adsentimus, antea experiamur oportet. Igitur priusquam Augustum pacis imperatorem digito urbi et orbi monstremus liceat rationes dubitandi, si quae sunt, diligenter pensare.

Nemo est qui pacem non quaerat. Sed pax, quid aliud est nisi *tranquilla libertas, civium concordia, consensus omnium, quies otiumque animi?* Quid pace suavius? quid salutarius? Pax alit artes foveatque litteras, agros servat et nutrit, famem depellit, miseriā levat, arcetque bella matribus detestata.<sup>1</sup>

Jam vero Octavius Caesar Augustus

*qui interna et externa bella plura iniit,  
qui violenter ipse cum civibus et necessariis se gessit,  
qui privato consilio honores invasit,*

adhuc pacis imperator dici potest? Adest igitur dubitandi ratio.

Quia revera: A) Interna et externa bella plura iniit.

Sufficiat tantum bellorum summarium ab Augusto, suo ductu vel consilio patratorum, uti ex Flori Epitomes obtutu atque ex Monumento Ancyranum sponte patet, tradere:

- 1) *Bellum Mutinense* adversus Antonium, quod aegre ferret Octavianum avunculi heredem evasisse.<sup>2</sup>
- 2) *B. Perusinum* quo L. Antonium ad deditonem Perusiae compulit.<sup>4</sup>
- 3) *B. Philippense* adversus Cassium et Brutum, inita societate cum Antonio et Lepido, perrexit eosque apud Philippos devicit.<sup>5</sup>
- 4) *B. Siculum* ubi Pompejum Sextum post variam fortunam tandem oppres- sit.<sup>6</sup>

<sup>1</sup> Cfr. Cic. a Philip. 44, 113. — <sup>2</sup> Hor. Carm. I, 25. — <sup>3</sup> Flor. IV, 4. — <sup>4</sup> Ib. IV, 5. — <sup>5</sup> Ib. IV, 7. — <sup>6</sup> Ib. IV, 8.

5) *B. A&rianum*, in quo naval i proelio, ita in serum dimicazione protracta ut in nave Augustus pernoctaverit, Antonium apud A&rium vicit.<sup>1</sup>

6) *B. Noricum et Illyricum*. Noricos per Drusum perpacavit; ipse vero Illyricos imperavit.<sup>2</sup>

7) *B. Servorum* in quo Siciliam et Sardiniam occupatas recuperavit servosque «qui fugerant a dominis suis et arma contra rem publicam ceperant, triginta fere milia capta et Dominis ad supplicium sumendum tradidit». <sup>3</sup>

8) *B. Aethiopicum*, quod jussu et auspicio Caesaris incoptum est duobus exercitibus «in Aethiopiam et in Arabiam quae adpellatur eudaemon» duxit.<sup>4</sup>

9) *Cetera bella*. In Pannonios domandos Vinnium mittit, in Dalmatas Vibium, in Germanos Drusum; Dacos ultra Danuvium perpellit, Sarmatas prohibet Danuvio; Musulanos atque Gaetulos Cocco duce compescit; Marmaridas atque Garamantas Quirinio subigendos dat; contra Armenios C. Caesarem nepotem mittit; Cantabros et Astures ipse domat coercetque.<sup>5</sup>

#### B) Violenter ipse cum civibus et necessariis se gessit

1. *Saevis in hostes*: a) Perusia capta, scribunt quidam,<sup>6</sup> trecentos ex detitiis electos utriusque ordinis ad aram Divo Julio extructam Idibus Martiis hostiarum more maestatos.

b) Post bellum Philippense caput Bruti Romam misit ut Caesaris Statuae subiceretur in eumque verborum contumelia saeviit et euidam sepulturam suppliciter precanti respondisse dicitur «jam istam in volucrum fore potestatem».<sup>7</sup>

2. *Durus in cives*: a) Anno 713 ab U. C., coss. P. Servilio et Lucio Antonio, Cremonensis et Mantuanis agris spoliavit ut inter veteranos milites distribueret.<sup>8</sup> Hac data occasione Vergilius primam eclogam scripsit in quo Meliboeus haec tristis gemebat:

«impius haec tam culta novalia miles habebit,  
barbarus has segetes. . . . . his nos consevimus agros!»<sup>9</sup>

b) Pinarium equitem R. curiosum et speculatorum ratus, coram confodi imperavit; et Tedium Afrum consulem designatum tantis conterruit minis ut is se praecipitaverit; et Quintum Gallum Praetorem, in officio salutationis tabellas duplicates ueste tectas tenentem, suspicatus gladium oculere, nec quicquam inveniretur, per centuriones et milites raptum e tribunal servilem in modum torsit et postea jussit occidi prius oculis ejus sua manu effosse.<sup>10</sup>

c) Thallo a manu, quod pro epistula prodita denarios quingentos accepisset, crura ei fregit.<sup>11</sup>

d) Quod vero vix crederis paedagogum ministrosque C. filii, per occasionem valitudinis mortisque ejus oneratos gravi pondere cervicibus praecipitavit in flumen.<sup>12</sup>

1 Flor. IV, 11. — 2 Ib. 12. — 3 Mon. Aneyr. 25, 27. — 4 Ib. 27. — 5 Flor. IV, 12. — 6 Sueton., Aug 15  
- 8 Ib. 13. — 9 Ecl. I, 70-72. — 10 Suet. Aug. 27. — 11 Ib. 67. — 12 Id. Aug. 67.

e) Cum de inopia et caritate vini populus quereretur severissima coēcuit voce: «*satis provisum a genero suo Agrippa perduītis pluribus aquis, ne homines sitirent*».<sup>1</sup>

3. *Inmanis in vates et magistratus:* a) Ovidium Nasonem discedere jussit finibus extremae Ansoniae, quin fere servorum copia nec comitum, nec apta ueste opibusve profugo uti licuisset.<sup>2</sup>

b) Rufum, quem ad consulatum usque et Cornelium Gallum, quem ad praefecturam Aegypti provexerat, damnados tradidit.<sup>3</sup> Ille Gallus ita Vergilio carissimus fuit ut ei eclogam X dicaverit, ejusque laudes sub finem IV Georg. libri, uti ferunt, ab eo celebratae fuerint. Sed post ejus necem jussu Augusti sublatae, quibus Aristaei fabula subfecit.

4. *Impius in suos:* a) Julias, filiam et neptem, omnibus probris contaminatas, relegavit; Agrippam nepotem ob ingenium sordidum ac ferox addicavit seposuitque Surrentum.<sup>4</sup>

b) Proseripsit C. Toranium tutorem suum et collegam patris Octavii aedilitate.<sup>5</sup>

c) Agrippam generum, antea ad summos honores elevatum, in insulam transportavit saepsitque insuper custodia militum. Cavit etiam s. c. ut eodem loci in perpetuum contineretur.<sup>6</sup>

### C) Privato consilio honores invasit

1. Magistratus atque honores et ante tempus et quosdam novi generis perpetuosque cepit.<sup>7</sup>

2. Annos undeviginti natus exercitum privato consilio et privata impensa comparavit.<sup>8</sup>

3. Consulatum vicesimo aetatis anno invasit admotis hostiliter ad urbem legionibus missisque qui sibi nomine exercitus deposcerent.<sup>9</sup>

4. De reddenda re publica etsi bis cogitaverit, tamen reputans se privatum non sine periculo fore et illam plurium arbitrio temere committi, in retinenda perseveravit.<sup>10</sup>

Sed unde futuri periculi timor? Nondum post tot tantasque victorias summus dux et imperator ad civium consensionem pervenerat? Nequaquam, sed erant qui ruinam ipsi et insidias moliebantur; ideoque senatui praesedit scimus lorica sub ueste munitus ferroque cinctus, decem valentissimis senatorii ordinis amicis sellam suam circumstantibus. Et Cordus Cremutius scribit ne admissum quidem tunc quemquam senatorum nisi solum et praetemptato sinu.<sup>11</sup>

Nunc ergo recte intelleges Caesaris responsum Tiberio datum violentius apud se per epistulam conquerenti: «*Aetati tuae noli in hac re indulgere et nimium indignari quemquam esse, qui de me male loquatur; satis est enim si hoc habemus ne quis nobis male facere possit*».<sup>12</sup>

1 Suet. Aug. 42. — 2 Trist. I, 3. — 3 Suet. Aug. 66. — 4 Ib. 65. — 5 Ib. 27. — 6 Ib. 65. — 7 Ib. 26. — 8 Mor. Ancyra. I, 1. — 9 Suet. Aug. 26. — 10 Ib. 28. — 11 Ib. 35. — 12 Ib. 51.

Quae cum ita sint Octavium Caesarem Augustum pacis imperatorem merito adhuc dicemus?

\* \* \*

Quod omnes mirantur, quod omnes quoque sine dubitatione confitentur hoc est: imperium Augusti tempore ad eum gradum prosperitatis immo et tranquillitatis proveatum esse ut, quia condidisset imperium, Romulum vocare voluerint; sed sanctius et reverentius visum est Augustum appellare.<sup>1</sup> Ideoque compertum est Augustum, cum ex Hispania Galliaque, rebus in his provinciis prospere gestis, Romam reliet, Aram pacis Augustae, ex senatu consulto consecrasse. Quo tempore «Janum Quiritum quem clausum esse majores nostri voluerunt —ita fert auctoratum Monumentum Ancyranum (13)— cum per totum imperium populi Romani terra marique esset parta victoriis pax, cum prius quam nascerer a condita urbe bis omnino clausum fuisse prodatur memoriae, ter<sup>2</sup>, me principe senatus, claudendum esse censuit».

Et tunc ubique certa jam atque continua totius generis humani aut pax fuit aut pax. Potuit ergo Venusinus haec canere:

*Jam fides et Pax et Honor Pudorque  
priscus et neglecta redire virtus  
audet, adparetque beata pleno  
Copia cornu.<sup>3</sup>*

Ergo cur non Augustum, pacis imperatorem dicamus?

Quod si suis et civibus quandoque inhumaniter fuisse videtur, nescimus Ciceronem de Caesare Augusto somniasse<sup>4</sup> puerum facie liberali a caelo demissum eique Jovem flagellum tradidisse?

Mores quidem vi coercuisse verum est. Sed nonne plura pessima exempla in perniciem publicam aut ex consuetudine licentiaque bellorum aut per pacem subrepserant?

Plura quoque bella per se gessit, sed nunquam sine iustis et necessariis causis, tantumque afuit a cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam gloriam augendi ut quorundam barbarorum principes in aede Martis Ultoris jurare coegerit mansuros se in fide ac pace quam peterent:<sup>5</sup>

Ceterum exstant plurima clementiae et civilitatis ejus magna documenta.<sup>6</sup>

1) Plebei Romanae viritim HS trecentos numeravit ex testamento patris et HS quadringenos ex bellorum manibiiis consul quintum dedit... et consul undecimum duodecim frumentationes frumento privatum coempto emensus est.<sup>7</sup>

2) Aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit, fecitque nova opera: aedem Martis, Jovis Tonantis, Apollinis, divi Julii, Quirini, Minervae, Junonis Reginae, Jovis Libertatis, Larum, deum Penatium et Juventutis.<sup>8</sup>

3) Spectacula populo dedit: ter munus gladiatorum, quibus depugnaverunt hominum circiter decem milia; ludos fecit quater; venationes bestiarium sexiens et

1 Mon. Ancyra 34. — 2 Templum Jani gemini bis ante Augustum clausum fuerat sub Numa Rege (cfr. Liv. I, 19) et vixit primum Carthaginum (cfr. Flor. Epit. II, 34). — 3 Hor. Carm. Saec. 57. — 4 Cfr. Suet. Aug. 94, 9. — 5 Ib. 20-21. — 6 Suet. Aug. 51 et Mon. Ancyra. — 7 Mon. Ancyra, 25 — 8 Ib. VI, 2.

viciens, quibus confecta sunt bestiarum circiter tria milia et quingentae; navalis proel i spectaculum, trans Tiberim in quo loco nunc nemus est Caesarum, populo dedit cavato solo in longitudinem mille et octingentos pedes, in latitudinem mille et ducentos. In quo triginta rostratae naves triremes aut biremes, plures autem minorres inter se conflixerunt. Quibus in classibus pugnaverunt praeter remiges milia hominum tria circiter.<sup>1</sup>

Quid ergo mirum si in restitutione Palatinae domus, incendio consumptae, omnes, tum veterani, tum decuriae atque tribus, tum singuli cives libenter et profacultate quisque pecunias contulerit?<sup>2</sup>

4) Ingenia sui saeculi Suetonius omnibus modis fovisse testatur,<sup>3</sup> Vergilius ejus laudes passim celebrat,<sup>4</sup> Horatius quoque grato animo scribit:

*Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?  
bella quis et paces longum diffundit in aevum?*<sup>5</sup>

Quod si Augustus extorrem Ovidium fecit Gallumque damnandum tradidit, tamen ea fuit animi comitate ac humanitate ut, audit Galli nece, illacrimasse fertur.

5) Ceterum viator omnibus superstibus pepert, externasque gentes, quibus tuto ignosci potuit, conservare quam excidere maluit.<sup>6</sup>

Unde Livius sicut de populo Romano ita de Augusto dicere potuit plus eum paene parcendo viatis quam vincendo hostes imperium auxisse.<sup>7</sup>

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

## Imagunculae Claretianae

### VII angelorum comes

*Rure, nivali conteatus velamine, CLARET,  
Laturus populis verba salutis, adit.  
Nil nisi nix' et caerulus undique cernitur æther;  
Obruta nam gelido vellere cuncta jacent.  
«Quanam -dixit- eam, ne certo tramite aberrem?  
Nulla hominum parent, nullaque signa boum.  
Confestim puber rogitanti adfaret eunti  
Se comitem praebens ipse ducemque viae.  
Sane de caelo missus; vestigia quippe  
Nulla pedum liquit, nullaque signa nive.  
Nec simul humana facie delapsus ab alto,  
Angelus angelico gaudet adesse viro.*

LUDOVICUS MARCUS, C. M. F.

Tucumanus in Argentina.



1 Cfr. Mon. Ancyrr. 22.23. — 2 Suet. Aug. 57. — 3 Suet. Aug. 89. — 4 Ecl. I, IV; VI; Geor. III et IV; Aen. I; 286; VI, 891; VIII, 675; ceteri. — 5 Hor. Epist. I, 3, 8. — 6 Mon. Ancyrr. 3. — 7 Livius XXX, 43, 17.

## De erratione Georgii Pelleterii pueri

VII. Georgiolus interea passibus, ut erat fatigatus, lentis procedebat illa via quae sub sereno stellantique caelo satis illustris erat. Nam ea nebula, quae sub occasum solis terram contexerat, frigidula fugata erat aura, quae afflabat ex magna montium corona tum adhuc inspersa nivibus; qui montes luna sublustris alba et ingentia phantasmata esse videbantur. Georgius sublatis ad eas coruscationes stellarum oculis: En, inquit, eaedem stellae quae lucent etiam supra domum paternam meam; et hic obtutus magno puero erat solatio tamquam si ex illis caelestibus ignibus totidem veterum amicorum oculi suos prospicerent gressus. Nam pro cognitiorum cosmicarum et geographicarum suarum modulo etiam istud caeleste theatrum, quod ejus toties tenuerat oculos ex area paternae domus quodque tum idem esse videbatur, laeto argumento esse statuebat non se tanto spatio abesse ab agro suo ex eaque qua incederet via, postea, ostendente sibi sole regionem agnitorum se extrema lineamenta montium, quae longe, atque longissime, conspicerentur ex colle paternae domus.

Interea tamen frigus et lassitudo suadebant, ut sibi quaereret, ubi transigeret noctem, lectum. Neque vero admodum raro ad viae illius dextram conspecta sunt lumina, quibus constabat ibi inter agros latere domicilia hominum; sed illis infelix puer non audebat propinquare naturali timore canum, qui eodem prorsus modo quo in sua patria, solerent magno cum latratu' prorumpere in eos, qui parum cauti ad rusticam villam accessissent. Itaque in utramque partem viae prospectans sollicitate quaerebat, si quod foenile polliceretur in eam noctem hospitium. Et procedebat totam horam et amplius, et cum misellus jam sentiret crura sibi curvari nisu majore viribus, constituit a via publica deflectere, et se dedit in semitam ducentem per tenebrosam densitatem arborum ad rudem aīramque aedificationem, vacuam, uti videbatur, habitatoribus. Cautē propinquat, et cum abesset spatio jaetus arreptum contra tugurium mittit lapidem, ut in tempore experiretur, si ibi canis esset. Auditus est ex eo loco in quem lapis ceciderat strepitus dumtaxat alarum anxiusque volatus magnae alicujus avis ex frutice se auferentis. Georgius eam nactus certitudinem accedit, subit rusticum tugurii atrium, auscultat ad fenestram male junctam quae prospectum dabat in locum, sentit inde afferri odorem foliorum siccorum recens coacervatorum, per sepimentum compactum ex assibus intrat. Erat commodissimus ad cubandum acervus foliorum, quem ipsa Providentia ei offerre videbatur tegumentum frigoris. Tentato manu molli monte et omni jam depulso timore in medio aliquas sibi cavat quasi cunas, in quibus cum se quam poterat commodissime collocasset, pro tegumento brachiis super totum corpus congregebat folia.

Clausis deinde oculis, priusquam somnum caperet, extractam imaginem Divae Virginis admovit labiis, duxit super corpus in magnae signum crucis, applicat peccatori ore compiciens verba tam calida ut denuo madescerent genae puero pugnantibus inter se spe auxiliī Divae Matris et ea amaritudine, quam percipiebat ex ista

solitudine, quam excitabat in quo cubabat lectus, nimium, ah! dissimilis lecto illi, quem paratura fuissest mater tera, et recordatione matris suae, quam fingebat tum illuc in casula imposita colli placide dormientem ignorare Georgiolum suum...

Et vedit in somnis mammam. Videbatur sibi, sicut solebat, cogere in editae herbosaeque planitiei umbras circiter meridianam horam vaccas. Mater illa, quae de casa descendebat semita, per campum Hispanum tendebat usque ad ipsam planitatem. Georgius vaccas agebat versus matrem; sed hae repentina percussae timore immugiunt et ad torrentem diffugiunt. Cum his audit longum tonitrum bombumque, et postea, ecce, horrenda caligo! Audit usque in illis tenebris vocem matris se clamantem neque cessat ad eam currere; sed illa planities vallis infinita facta erat, in qua quo citius currebat eo resonabat vox matris tenuior. Tum ei evenit, ut ne currere quidem posset. Ferrea manus prehenso brachio ita tenebat immotum ut si comprimeretur sub prelo coquela. Et simul nigra quaedam eum invadit figura, veri facies custodis publici. Georgius luctatur, lacrimat; supplicat illi custodi, ut se patiatur abire liberum; sed ille immemor clementiae reluctantem trahebat versus murum, in quo conspiciebantur fusco colore clatri, carcerem. Et videt in eo muro aperiri cancellos et se ipsum ineludi in obscura et magna camera, cuius pavimentum in sternebatur vietis foliis, qualibus in suis stabulis pro bestiarum cubilibus consuerent uti agricolae. Hic somniator exclamat: O me miserum! in tantam qui dejectus sim miseriam, ut cubem, quemadmodum cubent stabuli mei bestiae! Sed huic clamori ejus illico respondit terribilis latratus vegrandis canis, qui acutissimis praeditus dentibus ex ambobus oculis mittebat ignes. O rem tremendam! Georgiolus retinet spiritum vocemque. Sed illa belua pergit latrare et ita latrat, ut totus personet carcer et veluti terrae motu excussus contremat. Tanto tamen fragore motuque expurgiscitur. Ubi aperuit oculos, aliquamdiu stat anceps, ubinam sit locorum. Jam aliquid lucis immitebatur per latissimos ligneae compaginis hiatus, quam propter coacervabantur ea folia, quae ei praebuerant lectum. Fortunatus sibi videbatur puer, quod neque ille carcer erat, neque ullus illic latrabat canis. Dissipatae erant terrificae imagines somnii excepto fusco quodam ex longinquuo murmure, quo adhuc stridentes tremebant asseres. Georgius admoto vultu fenestellae ligneae conspicit supra, a paucis metris, rem nigram, e duobus oculis radiantem ignem, e visceribus montis progressam sibi appropinquantem. Exterrefactus exsilit ex foliis versus exitum loci, ut fugam peteret; sed nondum etiam removerat trondeum tegumentum cum ex ferroviario tramine sibilus, rerum ei exhibuit veritatem; erat enim supra illud vile tugurium, a paucis metris viae agger ferratae: et jam cum sibilo tractoriae machinae agmen in proximum montem insinuabat.

Asperiore aura matutina factum est ut penitus expurgiceretur puer tristemque, quae ei obtigerat, sortem, persentiret. Campi adhuc involvebantur umbris crepusculi et Georgiolus diu stetit prospectans, si forte inter dentata lineamenta illorum montium deprehenderet, unde locorum situm agnosceret. Frustra. Insolitus ille erat aspectus montium et camporum et aedificiorum jam prope et procul clarescentium Adnixus cippo illius viae principalis, ad quam reverterat, ne illud

quidem satis distinguebat ex qua parte pridie venisset, adeo omnia mutaverat al- bescens dies, neque animadvertebat par oculorum, qui eum amice observabant. Et erant oculi catelli, quem Georgius tum demum animadvertisit, cum ille, ut se neglec- tum vidiit, laconico latratu se obtulit. Erat ut si latratu puerum interrogaret canis: Quis es tu? Georgius, qui principio recordatus canem somnii sui inhorruit, brevi, intellecto bestiam se serenis argutisque oculis contemplari et movere caudam, subridens ei blandeque alloquens ad se vocat. Canis accurrit ululans et odorans quam puer porrigi manum; postea cum etiam majore audacia posterioribus annis pedibus alterum ex anterioribus pediculis porrigens seriam justamque puerο salutatio- nem fecit. Bombax! exclamat Georgius, quam egregie instructos canes habet regio haec! et arrepto pediculo testatur catello admirationem. Se repperisse ratus amicum hoc designat socium sui ad larem suum reditonis: Duo si erimus, inquit, plus erit utrique animi et laetiores ibimus. Sic loquitur in via procedens cum cane puer et addit: Vellem praeditus et tu loquela essem. Sed vixdum hanc vocem protulerat cum procul scuticae fit crepitus et inde a metris circiter quadraginta admovetur longis- sima rhaeda duobus juncta equis, quorum qui insidebat alteri, scutica crepabat, quo apparebat canem revocari.

Qui prospiciens paulum puerum, paulum longinquam adhuc rhaedam incertus esse videbatur, alterum utrum sequeretur officium, fidelitatis an amicitiae; vincente tamen fidelitate subsultim recurrit ad currum identidem se convertens ad Georgio- lum tamquam si identidem juberet valere. Sed pueri oculi haerebant in illo monstro currus, qui saltitando procedebat cum pulsu unguilarum duorum caballorum. Erat illud magnorum carrorum genus, quos Georgius jam viderat in pagi sui loco prin- cipe, cum ad paganalia accesserat, unum ex illis plaustris habitabilibus quibus cir- culatores et cingari artium suarum instrumenta totasque familias suas comportant. Quod ea non semel vidisset in patria etiam confidentius statuit interrogare homines primos sibi in ea via occurrentes, daretne ea via in patriam redditum necne.

Is quem insedisse equo diximus cum vidisset ad se procedere puerum, bestias inhibet, ex equo desilit, catellum suis se intersetentem pedibus intercipit brachiis, puerum quoniam illa hora tenderet interrogat.

ANDREAS HABERL, S. V. D.

(separar)

## NUNC PRODIIT

**Historiae Sacrae Compendium** (2.<sup>a</sup> edición)

**Epitome Historiae Graecae** (3.<sup>a</sup> edición)

Libros de traducción escolar para los primeros cursos de latín preparados por el R. P. José Jiménez, C. M. F.

Veneunt apud: "Textos Palaestra", Lauria, 5 - Barcelona

# E chartario scholastico


## Relationes loci (Pro alumno medit.)

Quoniam ea quae ratione et usu discuntur altius in mente inhaerent, hodie in pavimento creta chartam graphicam Hispaniae vobis depinxi; uti, quandam peregrinationem quasi peragentes, nunquam memoria excidat quo modo *relationes*, quae dicuntur *loci*, componere oporteat.

Auspicemur igitur. Tu, Dne Felix, siste pedibus in urbe *Gadibus*. Dic mihi, ubi es? —Sum in *Hispania*, nobili gente et ingenua, in qua natus —maximas Deo gratias — imbutus sum catholica religione et amore. Pedibus sisto *Gadibus*, quae ad ulteriorem romanorum Hispaniam pertinuit: est portus mari atlantico ablutus. Haud multum distat urbs *Hispalis* quae *Baeti* fluvio irrigatur, et si parum inde processeris *Italicae* et *Mundae* memorandas ruinas aspicias.

—Bene nostrum Felicem! intellego te non modo latinum sermonem, sed et, geographiam et historiam patriam optime callere. Bene est. Sed perge aliquatenus: exi *Gadibus*.

—Exeo, Domine, *Gadibus*, et vel automolo patris mei terrā pervenio *Calpem*, vel e mari atlantico, pervenio in mediterraneum seu Ibericum pertransiens per *Fretum Gaditanum*. Sum igitur *Calpe*, hodie «*Gibraltar*», —si mihi per Anglos licet.



Hic duae Herculis columnae positae dicebantur, *Calpe* altera, *Atylae* altera in adverso Africæ promunturio. Hinc mari et viae denuo me committo et pertransiens ad *Cartejam* (*por los alrededores de Tarifa*), prospicio Malacam et Almeriam et sisto *Carthagine Nova* quam tanti romani nobilitaverunt.

—Bene se habet, requiesce ibi parumper. Tu, Dne Albine, iter aggredi Gerundā ut cum Felice convenias.

—Sisto pedibus *Gerundae*, sum in urbe *Gerunda* cuius gens nomine, virtute, fortitudine obsidionibusque celebrata. Et *Gerunda* exiens *Barcinonem* pervenio, in qua urbe parentes, me puer, commorati sunt et pulchra et jucunda mihi de ea principe urbe narraverunt: de monumentis, de aedibus, sacris et publicis, de viridariis, quae loca publica ornant, de animalium vivariis in quibus et elephas et camelus et leones detinebantur. Sed ego, pro dolor! cum illuc recreandi animi causa quadam die devenissem, quasi religatus ad portum detentus sum cum sociis veniamque civitatem ingrediendi nobis denegata ex nimia forte civium frequentia et perturbatione.

—Videbis, sis, proxima aestate, nam alumni fere omnes excursionem scientificam illuc peragere optant.

—Ain' vero?

—Ea est mens.

—Interea e portu *Barcinonensi*, scaphā vectus motoriā mari *Mediterraneo Tarraconem* appello. Est ex vetustis Hispaniae urbibus facile princeps. Habet moenia quae cyclopēa vocantur ab iberis forte exstructa. Ea urbe potitus est a. 218 ante Ch. n. P. Cornelius Scipio Africanus Major cum Hispaniam, bellum cum Poenis et Hannibale ducturus, appulit. Deinde caput Hispaniae citerioris existit maximumque incrementum et momentum temporibus dictionis romanorum habuit, sedes fuit proconsulis, circo, foro, basilicis aliisque monumentis ornata.

—Tu mihi videris *Tarracone natus*, adeo illius urbis historiam calles.

—Minime vero, Dne., sed in periculis Historiae de eo oppido plura sum interrogatus et ideo menti inhaeserunt ac praeterea avunculus ex ea urbe adveniens plura mihi rettulit. *Tarracone* deflectens Dertosam et nobile Saguntinorum oppidum recordor, cuius nomen et fortitudinem summis laudibus Titus Livius amplificavit: tandem *Valentiam* pervenio. Haud procul a *Valentia* insulae Baleares distant: Majorica, Minorica, Ebusus, Pituysae...

—Bene se habet: bene et historicō nostro. Vos Felix et Albine, ambo *Valentia*, et *Carthagine Nova* intendite iter *Matritum* ubi condiscipulus Aloisius commoratur et vos praestolatur. Tres estis condiscipuli et collusores: inter vos consalutate:

—Bene vobis, Felix et Albine.

—Salve et tu, Aloisi.

—Unde venistis?

*Felix*: —Longum itineris spatium emensi sumus, ego commoratus *Gadibus*, *Calpe*, *Malacae*, *Carthagine Nova*, iterque feci terrā, equo insidens eoque saepe concitato, automolo, mari scaphā vectus ac denique pedibus etiam.

*Albinus:* — Ego fui *Gerundae*, pertransii *Barcinonem*, *Tarragonem*, *Valentiam*.

*Aloisius:* — Nunc ergo tandem *Matriti* estis, quod est caput totius Hispaniae, vobisque gratias ago maximas quod me domum salutatum convenistis. Sed video caelum admodum tepescens sudumque esse, ac si placet, domo exeamus deambulatum ut quae sunt conspectu dignissima in hac principe urbe et vos intueri eisque delectari possitis. Visere licet Musea, Archiva, Monumenta, Palatia, Aedes Ministeriales, Universitatem Centralem, Civitatem Universitariam, Academias linguae Hispanicae, Historiae, Artium, Bibliothecam Nationalem, celebrem Portam Solis, Amplam Viam, Regale Praedium «*El Pardo*» et Recessum in quo Palatum Crystalinum et Domum Piscatoris videbitis, ac si tempus suppetat electriceha in Regale Praedium et Monasterium Escorialense nos conferemus: At... ubinam sumus?

*Albinus:* — Nisi fallor in aula latinitatis et sine Magistri venia hinc exire non licet.

*Magister:* Audio vos colloquentes, alumni, et summa dexteritate latine confabulantes, cumque vos impigros videam in ediscendis lectionibus, et veniam ultro concedo ut deambulationem peragatis si tamen non *per Matritum*, ubi quidem vobis locus et tempus suppetat. Id tamen spero, vos semper in posterum relationum loci memores. Schola pomeridiana vacat. Valete, pueri.

*Discipuli:* — Valeat et magister noster!

### **Leges**

UBI — I. Efferuntur *ablativo* cum praep. *in*: a) nomina communia. b) propria regionum, nationum, majorum insularum.

*Magnae insulae censentur Britannia, Sicilia, Sardinia, Creta, Euboea* et. parvae vero *Chius, Delos, Lemnus, Rhodus, Salamis, Samos, Corcyra*

N. *Excipe ab a) omittitur saeplus praep.* cum appellativa *terra, mari, loco, numero, cum verbis quibus adjicitur totus (omnis, universus, medius)*.

II. Nomina urbium, oppidorum, insularum minorum *primae vel secundae, declinationis* quae per numerum singularem flectuntur, in genitivo (seu veteri locativo) ponuntur.

N. *Excipe: in appositione et attractione nominis urbis ad nomen communem praedita prapositio.*

III. Legem II consequuntur domi,

### **Exempla**

UBI. — I a) *in herba, in sella, in ponte, in monte, b) in Italia, in Hispania, in Campania, in Aragonia.*

*In Britannia, in Creta, in Majorica natus — Chli, Corcyrae natus. — Melius in Cypro in Chersoneso quam Cypril, Chersonesi*

N. *Terra marique; —eo loco (et in loco) — multis locis (multis in locis), parentis loco habere, in parentis loco alicui esse. «Honesto loco natus». CIC. Tusc. 5, 20, 58. Aliquo in numero esse; «Obsidum numero mitti», CAES., B. G 5. 27, 2. — «Tota Italia ragatur», CIC., Phil. 11, 2.*

II. *Sum Romae, Caesaraugustae, Tarenti, Matriti.*

N. *In urbe Roma, in urbe Corintho. Romae [in] urbe amplissima, natus. Antiochiae, celebri quondam urbe et copiosa (CIC., P. Arch., 3, 4).*

III. «*Ruri fere se continebant*». TER.,

*ruri, humi, militiae (domi militiaeque), belli, (domi bellique) [orbi, Tiburi, Carthagini, Anxuri].*

N Cum possessiris et alienus et adjecto genitivo possessoris habetur etiam ablativus: praepositio omitti valet At cum ceteris adjectivis adhibenda est praepositio.

IV. Nomina urbium oppidorum, insularum quae per primam et secundam declinationem non flectuntur et pluralia, in ablativo casu ponuntur.

V. Verba aut locutiones quietis quae viciniam significant, accusativo cum *ad, apud* (*en los alrededores*) exigunt.

UNDE. — I. Verba aut motus locutiones quae locum unde quis exit significant ablativum et praepositionem *ab, e, de*, requirunt cum nomina quae sequuntur sunt communia aut nationum, regionum, magnarum insularum propria.

II. Praepositionem respuunt a) nomina propria urbium et parvarum insularum, b) *domus, rus* nisi genitivus possessoris sequatur, «*E domo Caesaris tam multa delata sunt*», CIC. Phil. 2, 14, 35; c) substantiva quae cum ablativo originis exitusve junguntur; tamen «*Septem exitus e domo fecerat*», CAES. B. G. 7, 28.

N. Excipe a lege II a): requirunt praepositionem: 1) propria quae sibi praepositam vel appositam vocem (*urbem, oppidum, insulam*) habent, 2) urbium nomina cum verbis *distare, abesse, esse ab, longe, procul a*, 3) cum *a, ab, urbis* propinquitatem (*los alrededores*) notat, 4) cum numeris ordinalibus et verbis *similibus* quae principium numerandi indicant.

III. Locus unde quis ortus est, ablativo cum urbium et generis nominibus; ablativo et praepositione cum nationum, regionum, majorum insularum vocibus.

QUO. — I. Verba vel locutiones quae motum significant accusativum exigunt adiecta praepositione *in, ad, cum nomi-*

Phorm. 363. *Aestate ruri, domi ritam agere.*

N. Domi meae, domi tuae, alienae, domi Pompeji, Ciceronis; [in] domo mea, [in] domo Ciceronis. In domo amplissima.

IV. Sum Carthagine Nora, Barcino-ne, Burgis. «Esse Athenis tuis», CIC., Att. 16, 6, 2. «Si statim navigis, nos Leucade consequeren», CIC., Fam. 16, 1, 2.

V. Ad. (*apud*) Romam, (*urben, silram*) | N. ad patrem = en casa de mi padre] morari, castra facere; Pugna ad Cannas facta, «Pugna naralis ad Tenedum», CIC. P. Arch. 9. 21.

UNDE. — I. Proficisci ab Italia, ex itinere; ex equis pugnare. «Ad me ex Aegypto litteras misit», CIC., P. Litg. 3, 7.

II. a) Proficisci Roma, Corcyra; Delo Romam narigare. b) Rure in urbem redire, domo exire. «Se domo non commoverunt» CIC., Fam. 9, 5, 2. «Video rure redeuntem senem» TER., Eun. 9, 6, 7. c) «Qui Narbone reditus?». CIC. Phil. 2, 30, Soleae Syracusis; discessus Alexandria, Periphanes Rhodo mercator.

N. Proficisci ab urbe Roma: proficisci Roma ab urbe amplissima. Tarquinius Superbus ex urbe Roma pulsus, patria carebat. 2) Procul a Roma; «Abest a Larino duodecim milia passum», CIC. P. Clu. 9, 27. 3) Proficisci a Mediolano, a Roma, «Caesar a Gergovia discessisse audiabantur» CAES., B. G. 7, 59, 1. 4) Ad quartum lapidem a Roma (a partir de R.)

III. Marius, Cicero Arpino [melius Arpinas] Gn. Magius Cremona, [melius Cremonensis], sed «L. Junius ex Hispania quidam, Caes. B. G. 5, 27, 1.

QUO. — I. Ad Ciceronem, in urbem, in Italiam; «Cum facibus ad Curiam currererunt», CIC. P. Mil. 33, 91. «In Ma-

nibus communibus et propriis regionum, majorum insularum.

N. *Excipit*: inveniuntur sine praepositione non nullae insulae majores et regiones, fere nomine graeco insignitae.

II. Praeit etiam praepositio urbium nominibus cum vicinitatem notamus vel directionem.

III. Efferuntur accusativo sine praepositione: a) nomina minorum insularum et urbium, b) *domus* et *rus*, c) si possessiva vel genitivus possessoris accusativo *domum* adjungitur saepius deest praepositio, sed et prostat quandoque; d) cum adjetivis *non* possessivis aut cum vox *domus* respondet *familiae*, *adhibenda est praepositio*; e) usurpatur vel omittitur praepositio in appositione et attractione cum nominibus urbium et minorum insularum.

QUA. — I. *Ablativum* postulat si viam seu directionem per quam motus fit vel *transitus*, significamus sive nominibus propriis sive communibus et in primis cum vocibus *terra* *mari* et *totus*.

II. Cum autem transitum (*a través de*) aperte notare volumus praepositionem per usurpamus.

cedentiam an Gn. *Pompeji castra venit*, CIC P. Lig. 9, 27.

N. *Proficisci* Cretam, Aegyptum, Chersonesum, «Cum se ille eripuisse et Bosforum confugisset», CIC P. Mur. 16, 34.

II. *Tres viae sunt ad* (que llevan a) Mutinam, CIC. Phil. 12, 9, 22, *Marius ad Zamam peruenit* (a los alrededores); «Adulescentulus miles ad Capuam profectus sum», CIC. C. M. 4, 10.

III. a) *Proficisci Roma Athenas*. «Epistulas Syracusas commodius mittere poterat», CIC Att. 16, 11, 7. b) *Proficisci domum, rus; domum reduces* «Rus ibo», TER. Eun. 187. c) *Proficisci domum meam vel in domum meam, domum Ciceronis vel in domum Ciceronis*. «Domas suas discedere» Nep. Them. 4, 2. «Venire in M. Leccae domum», CIC. Cat. 1, 48; d) *In domum amplam, Octavius in domum (familiam) suam consulatus intulit*. e) *Proficisci Romam, (in) urbem amplissimam: proficisci in amplissimam urbem Romam*.

QUA. — I. Recta linea deorsum ferrari; Pado (por el Poo) frumentum advehere; Cicero Laodicea iter fecit Intrare Collina porta, Aurelia via. Terra Macedoniam petere. Mari narigatio.

II. Per Galliam, Italianam petere. Iter facere per Alpes, «Equo per Babylonam vectus», Curt. 3, 33.

J. M.ª MIR, C. M. F.

## Commercium Epistulare

*Cordis Mariae Postulantes Alabonenses Scholasticis Budapestinensibus, S. P.*

Jam diu est, cum ad vos scribere affectabamus, sed aut quia nulla succurrebat magni momenti res, aut quia vos studiosissimos et peritissimos linguae latinae sciebamus, id minime perfecimus. Nunc autem cum epistularum commercium non sit interclusum, de aliquibus vos certiores facimus. Nos adulescentes litteris vacamus hispanis, latinis et graecis, ut his exculti ad altiores sacerdotales disciplinas deve-niamus. Prope Caesaraugustam (in Hispania) Alabonae gymnasium nostrum est, alumnorum vero numerus ad 105 ascendit. Humanitatis curriculum 5 annis apud

nos compleatur. Primo cursui 21 alumni sunt, secundo autem 23, tertio 25, quarto 24, in quinto tandem 12 sumus. In nostris scholis litterariis a magistris paeclarissimis edocti sumus, quorum quidam vobis noti erunt per nostram PALAESTRAM LATINAM (menstruum de latinitate commentarium): ut magister noster Iosephus M.<sup>a</sup> Mir Cordis Mariae Filius. In promptu habeo «Juventutes» aliquas vestras, et mihi omnes magnopere placent, vel ob pulchras effigies, vel propter venustatem suam. Sed pluribus verbis ad vos scribam, cum plus otii nactus ero. Jam litteras vestras spectamus. Dominus et Virgo Maria vobis benedicant, ut optimi cives efficiamini. Vester in Domino:

ALBINUS GARCIA, C. M. P.<sup>1</sup>

Alabonae - Kal. Febr. MCMXLIII.

<sup>1</sup> Claretiani quoque vocamus a Bto. Fundatore Claret.

*Postulantes Alabonenses Fratribus Postulantibus Segontinis S. P. D.*

Jam dudum has litteras vobis mittendas gestiebam scribere; advenit tandem dies quo, nullo modo praetermittere possum quin libenter capiam calamum studens plurima et optima quam diligentissime queam vobis referre.

Jam vero, gratissimi Nativitatis Infantis Jesu dies dilapsi sunt; sed pro dolor! nunquam reversuri nobis Postulantibus! Tamen non est querendum: venient! et venient cum tempora meliora faveant propius optatibus nostris: tum denique nobis exspectatum aderit Tirocinium.

Ita Deus Materque pulcherrima faxint!

Ea mens fuit ut, etsi seras, gratulationes nostras ob adventum Redemptoris acciperetis.

Quam jucundum fraterculos inter se adhortari, gesta Prioris Fratris, id est, Domini, aspicientes et aemulantes!

Gaudete et iterum gaudete!: Puer natus est nobis, quo adjuvante, nulla obstacula nos deterrebunt nec vincent; quin etiam, post brevissimos curriculos, Illo propitio, suscipiemus permagnum opus sacerdotale, rutilum scopum omnium nostrorum conatum.

Ut horum Postulantium Alabonensium memineritis ferventibus in vestris precibus, etiam atque etiam peto... Valete. HELLADIUS GARCIA, C. M. P.

*Postulantes Seguntini Fratribus Postulantibus Alabonensibus S. P.*

Litteras vestras accepimus, quae magna nos perfuderunt laetitia. Dies vero profugere velociter et adhuc non persolvimus eis. Ignoscite. Una cum litteris, dulcissimi fratres, dilectionem nostram accipite, simulque pinetum seguntinorum auras saluberrimas.

Oculis animisque litteras legimus atque perlegimus vestras. Sane, perleatis, nihil est quod dubitemus et nos et vos iisdem sensibus, iisdem studiis propositisque esse imbutos. Nos quoque sanctum cogitamus tirocinium, quod nobis pansis foribus expectat; nos quoque sacerdotium vehementer suspiramus et imo pectore

Christi caritatem, ad salutem universo mundo per Cor Immaculatum suae Matris afferendam, nos urgentem sentimus.

Utinam, placeat Deo, tanta consequamur proposita! Quae nobis felicitas! Eam ad invicem exoptemus. Nos vobis sic ferventer desideramus. Deumque, ut ita fiat, precibus precamur. Vos quoque Deum rogate pro Segontiae Postulantibus, maxime vero pro me, qui nomine omnium vobis salutem scribo. Valete.

JOSEPHUS MESA, C. M. P.

Segontiae. IV Idus Junias.

*Carissimis fratribus Lusitanis, Postulantes Alabonenses V Cursus salutem plurimam in Domino dicunt:*

Primum animus gratus et nostra gratulatio erga vos significamus, propter ephemeridem «Alvorecer» quam ad nos misistis; hanc laetitia ac delestante magna legimus; Lusitana, enim, lingua ab Hispanica multum non differt.

Nunc diligenter vacamus studio. Ferias magno gaudio dereliquimus; annus enim vertens postremus nobis Alabonae erit: Sanctum Tirocinium nos exspectat. Horatii «ad Pisones epistulam», aliquot Ovidii poemata, ac Vergilii eglogas, et principis poetarum Christianorum, Prudentii, Carmina Selecta librum a nostro R. P. Henrico Martija compositum: haec omnia in aula vidimus; nunc Magister nobis loquitur de aede romana et de ejus partibus, de moribus atque muneribus romanorum, cet... Fratres carissimi, in vestris orationibus ad Virginem a Fatima fratrum Alabonensium mementote, nos quoque ante Virginem de Columna vestrum reminiscemur, interea valete.

Vestri additissimus,

FELIX ALBA, C. M. P.

*Lusitani Postulantes admodum dilectissimis fratribus Alabonensibus, S. P. D.*

Incredibili vero afficimur laetitia propterea quod neque ignoramus quin fratrum lusitaniae vos immemores unquam sitis. Praecipue de significatione vestra in «Alvorecer Claretiano», Seminarii hujusce editione ex imo corde gratias agimus habemusque. Hoc primum. Cum proprius ad rem veniamus nescio an cognitum habeatis, nos nuper ex Alpenduradensi Monasterio in hunc Sancti Vincentii peramoenum locum, translatos esse. Hic multiplicibus deliciis perfruimur: artus tenuissima aura velut mitis zephyrus circumpleteatur. Tum aedificium magnificum ex tribus constitutum tabulatis eximiaque pictoris manu depictum, caelum contingere vult.

Multa etiam vobis de amoenitate locorum dicenda erant «Sed nunc non erat his locus».

Quod ad rationem studii pertinet Horatii «Ad Pisones Epistula, non modo interpretata sed etiam a nobis comprehensa. Ad hoc Vergilii Aeneidos Carmina et Tibulli Proprietique elegias, Martialis, Claudiani Auxoniique epigrammata veritus.

Nec Demosthenis Homerique lingua itemque Bossuet despicitur.

Carrissime Felix, salutem dic fratribus omnibus praesertimque Patribus singulariumque Praefecto Rectorique.

Numquam nos vere ante Virginem a Fatima vestri obliviscemur. Etiam atque etiam valete.

EMMANUEL JOANNES UREIRA, C. M. P.

(E V cursu)

Sancti Vincenti, pridie idus Martias A. D. MCMXLIII.

(ad portum in Lusitania).

*P. Stephanus a S. Joseph, O. C. D. «Palaestrae Latinae» Moderatori, salutem.*

Praelector in humaniorum litterarum conlegio ex oboedientia factus, per plures annos humanitatis studia ardenti quidem amore sum prosecutus. Difficile est dictu quantam constantiam adhibuerim diligentiamque ad discipulos in his disciplinis informandos. Nescio an prefectus obtenti maximi sint: sed certo scio ex tanta assiduitate maximum erga litteras latinas amorem mihi provenisse.

Cum habendi pree oculis commentarium «Palaestram Latinam» mihi occasio data est, eum legi iterum atque iterum! Et cum videam hodie maximas quas tum scholares adulescentes tum ipsi praelectores ex hujus lectione possent afferre utilitates, eum habere vehementer cupio.

A te, igitur, hujus clarissimi commentarii Moderatore, postulo ut omnia exemplaria anno proxime elapso edita et quae in posterum edantur ad me quamprimum mittere velis.

Volo etiam ut mihi signifiques subnotationis annuae pretium.

Sum totus tuus,

P. STEPHANUS A S. JOSEPH.

Datum Villafrancae in Navarra V Kalendas Septembres.

*Josephus M.<sup>a</sup> Jiménez, C. M. F, Rdo. P. Stephano a Sto. Joseph, O. C. D., S. P.*

Gaudeo te in numerum lectorum PELAESTRAE LATINAЕ adnumeratum esse. Plures profecto sunt magistri qui commentarium nostrum si novissent, expeditorem in docendo viam invenissent.

Si quos habes amicos qui litterarum latinarum studio delegetur, eis PELAESTRAE exemplar mittes; aliquot ad id fasciculos dono accipies.

Transacti anni collectionem ad vos devenisse spero. Nonne et vos aliquando PELAESTRAM nostram scriptis ornabitis?

Subnotatio annua 10 pesetis constat. Vale.


Barcinone, nonis octobribus a. 1943.

# **VINOS de MISA**

## **J. DE MULLER, S. A.**

### **TARRAGONA**

Casa Fundada en 1851



Medalla de Oro en la  
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)  
Proveedores de Sus Santidades  
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

### **Garantía de absoluta pureza**

**EXQUISITA CALIDAD**

Certificados del Excmo. Sr. Arzobispo de  
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

*Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis*

[www.culturaclasica.com](http://www.culturaclasica.com)

# HIJO DE QUINTIN RUIZ DE GAUNA


**Velas Litúrgicas para el Culto**

Economía increíble usando mis velas especiales con el  
CAPITEL GAUNA patentado.

LAMPARA DE CERA «GAUNA» para alumbrado del Tabernáculo, de cuatro  
días de duración. ¡LIMPIEZA ABSOLUTA! ¡TRANQUILIDA COMPLETA!

**VITORIA (Alava)**

**FOTOGRABADOS  
M. SOLANO**



Aribau, 9, interior - Teléfono, 30255

**BARCELONA**

Lapiceros Mecánicos y de  
cuatro colores  
Plumillas oro 14 k.  
y chapadas  
Fornituras en General

Casa  
**Teflocan**

PLUMAS Estilográficas  
Ventas al Mayor  
Fontanella, 10, 2.<sup>o</sup>, 2.<sup>a</sup>  
Teléfono 23750  
BARCELONA

**ENCUADERNACION, EDITORIAL Y PARTICULAR**

**J. NAVARRO**

**MATILDE, 7**

**BARCELONA (G.)**

**TEL. 78193**

En las compras haced referencia a PALAESTRA LATINA

**www.culturaclásica.com**

## **Per Orbem**

**Usus linguae latinae.** — I. *Apud Boiohoemicos.*

In Boiohoemia, nunc Germaniae obnoxia, latine docetur.

a) Apud *gymnasia classica*, in quibus linguae ac litteris latinis datur opera a classe tertia ad octavam, idque senis horis hebdomadalibus in singulis classibus, praeter octavam cui quinque modo horae destinantur. Graecae autem linguae a classe quinta ad octavam studetur.

b) Apud *gymnasia realia*, in quibus graece non discitur, at latinae linguae studetur a tertia classe ad octavam, horarum numero gradatim decrescente.

c) Apud *gymnasia realia ementata*, — horum peregrinus est numerus — in quibus per quadriennium, sc. a quinta classe ad octavam, quinque quaternaeve horae in hebdomade latinae linguae destinantur.

Omnium frequentissima sunt *gymnasia realia*, quorum alumnis discenda proponuntur exempla summorum poetarum scriptorumque romanorum, tum etiam auctorum medi et renascentis aevi (Piccolomini et Bracciolini) qui rerum boiohoemicarum memorias prodiderunt.

II. *Apud Bulgaros.*

Linguae latinae minima, vel potius nulla, — nisi in publicis scholis — cura fuit apud bulgaros, quorum gens perpetuo ac diu Orientali Ecclesiae addicta fuit. Anno 1879 quo quidem ea gens libertatem adepta, Sophiae primum gymnasium ad bonas litteras pertinens conditum est.

G. Stamenov, primus *gymnasii praefectus*, celeriter *encliridion* composuit tironibus satis utile, nec multo post (a. 1881) grammaticam quandam potissima *praecepta continentem*.

Dr. Serov qui de latina lingua apud bulgaros agit plures recenset auctores qui grammaticas, dictionaria, aliosque

libros in usum scholarum composuerunt usque ad an. 1939 quo edi copta est «Bibliotheca graeca et latina».

Per pauca romanorum scripta bulgarice conversa sunt, quorum non minima pars ex linguis aliis ac latina, uti Vergili Horatiique opera ex graeco, gallico inimo et russico sermone.

Postremo laudanda est industria «Societatis amicorum classicae eruditio- nis» cujus ephemeris nomine «Prometheus» jam inde ab an. 1936 condita, veterum res gestas, religiones, civilem cultum, litterarum atque optimarum artium monumenta bulgaris aperire studet.

### **Cultorum litterarum conventus**

Alabonae apud Conlegium Claretianum, alter de *ingenuis disciplinis* con ventus a die I augusti ad XIV habitus est, decem et septem professoribus e tribus hispanis provinciis congregatis eo proposito ut selectioribus de re graeca, latina hispanaque omne tempus, ut re vera factum, conferrent.

Consilium ergo humanissimis verbis inchoatum significavit Dr. Arthurus Tabera, C. M. F. qui supremi studiorum Rectoris vices gerebat; scholis vero prae fuit moderator R. P. Daniel Ruiz, Instituti salmanticensis nobilis professor qui graecas quaestiones illustrandas suscep tit. De litteris latinis egerunt Joseph M. Jimenez et Joseph M. Mir, uterque PALAESTRAE LATINAЕ collaborator.

Ternae horae singulis diebus disciplinis tribuebantur; quarta vero rationi seu praxi ingenuas artes docendi ita ut nostrates laetos et, quod optandum, ubiores studiorum fructus percipere possint. Rmus, P. Nicolaus Garcia, Instituti Superior Generalis. quam semper in litteras contulit et benevolentiam et voluntatem, eam ornatissima epistula docentibus simul ac discentibus reddita, denuo manifestam voluit.

CAROLUS E. MESA, C. M. F.

## ***Curiosa et jocosa***



21. INTER POETAM ET JUDICEM CRITICUM. — Legistine carmina mea?

— Equid non?

— Confido te ultro profluentia ea invenisse: minimo enim mihi constant.

— Evidem nullum pretium habent.

22. SERVUS NAVUS — Ehūs tu, Crispē, cura ut cras ante lucana hora quarta me somno excites; mihi enim proficiscendum mox est.

— Tranquillo fruere somno, mi domine, atque securum tene, me, ubi primum tintinnabulum (*timbre*) pulsaveris, statim evolaturum ad somnos tuos abrumpendos.

23. AD MILITUM STATIONEM. — Decurio, jus (*caldo*) hoc nihil sapit.

— Facile concedo; oblitus enim sum carnem in pultario ponere. Visne aliquantulum salis tibi praebeam?

24. JOCI VERBORUM.

Fontinellus moriens quaerentibus quomodo se haberet:

— «Ego jam non me habeo, inquit, sed abeo».

25. Centurio adscriptivos milites (*reclutas*) instituens interrogat.

— Heus tu! Si in conspectu septentriones habes, ad dexteram orientem solem, ad laevam occidentem, quid tibi est pone umerum?

— Militaris pera (*mochilla*) domine mi.

26. MAGNA JACTURA.

Villicus quidam summa frumenti caritate coactus de die in diem modium asino attenuat. Demum pabulum nullum fere apponit. Mortiente denique jam asino p̄ae fame, ille:

— Magnam, heu! feci jacturam. Cum enim non comedere didicerat, tunc astinus mortuus est.

27. CREDITOR DEBITORI.

— Salve, bone vir!

— Ave, optume; gaudeo quidem tibi occurrisse, in eo eram ut te convenirem.

Quota est hora?

— Hora solvendi.

— Nimis igitur immatura adhuc Serius te invisam. Vale.

28. Ebriosus quidam moriturus monet ut voluntatem commonstret cum hostibus in gratiam revertendi. Tum ille flebiliter.

— Praebe, igitur, quaeso, cyathum aquae.

29. Crispus de Historia Naturae periculum subit:

MAGISTER. — Indices mihi mammiferum animal dentibus carens.

— CRISPUS. — Facillimum quidem: aviam meam.

30. Malus pictor imaginem Summi Pontificis pennicello quandam inepte reddidit, quem enixe rogabat ut suscriptionem suam cum aliquo sacro versiculo tabulae dignaretur apponere. Tum Summus Pontifex arrepto calamo. — «Ego sum, scripsit, nolite timere».

NUGATOR.